



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Annales Episcoporum Slesvicensium**

**Cypraeus, Johann Adolph**

**Coloniæ Agrippinæ, 1634**

Capvt XXIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64615)

po, & officium consummante. Extat quoque in libro, de  
Scriptoribus rerum Germanicarum Septentriona-  
lium, vicinorumq; populorum diuerforum, studio  
& opera *Erpoldi Lindenbrogi* edito, poema antiquum  
de vita ac rebus gestis *Vicelini*, venustum ac memo-  
rabile, quod illic legere ac videre licet.

## CAPVT XXIII.

**S**Ed ad Canutum reuertamur. Hac tempestate,  
*Henricus Slauium* Princeps rebus humanis ex-  
emptus est. Hic, vt supra ostendimus, cum  
Canuto pactus erat, vt sibi mortuo Canutus in  
Slauiæ regno succederet. Qua de causa Canutus apud  
Lotharium Saxonem instat, vt Regno illo sibi ex  
pacto delato inauguraretur, eiusq; confirmationem  
petit. Lotharius, qui Canutum multis de causis ob-  
seruabat, & diligebat, & eo imprimis nomine, quod  
aulam eius diu sequutus esset, precibus tandem lo-  
cum reliquit, & Corona capiti eius imposita, eum  
Regem *Obotritorum* renunciauit ac declarauit. Kanu-  
tus Rex exortus, secum deliberare ac dispicere cœpit,  
qua ratione Slauios rebelles ac perduelles in fide &  
officio retinere, & à defectione prohibere posset.  
Quam ad rem montem editum atque excelsum, (qui  
vulgo *Segeberga* dicitur, olim *Alberga* nuncupatus,)   
magno adiumento fore existimans, in eo casas & æ-  
dículas strui curauit, quæ munitionum instar essent;  
cum finitimis quoque *Holsatis* pacem & amicitiam  
confirmat, quorum opera & auxilio in reprimendis  
ac subigendis Slauiis, si fortè ad ingenium redirent,  
& rebellarent, commodè vteretur, & si res postula-  
ret, inde in Slauiam irrumpere, obuiumq; quemque  
K proster-

prosternere posset. Fratruelem igitur Henrici Pribislauum, & terræ Obotritorum Dominum Niclotum, qui, Henrico mortuo, Slauiam occupare conabantur, aggressus, prælio superauit, & Slesuicum deduxit, inq; custodiam traditos diligentissime adseruari iussit, donec pecuniam, quam pro redemptione, fideiussoribus datis, promiserant, exsoluissent, imperataq; fecissent. Accidit, vt sub idem tempus Daniæ Rex Nicolaus, qui Canuti Patruus fuit, Slesuicum veniret. Quem Canutus Dux Slesuici, vt par erat, humaniter excepit, aduentum & omnia prospera ei gratulatus. (*Annal. latè fol. 158. 159. Helmoldus cap. 51.*) Congregatione autem Procerum & vulgi habita, Rex principem locum obtinens consedit; è regione verò Canutus Rex Obotritorum designatus & coronatus sessitauit. Cumq; Canutus Regi venienti è vestigio non adsurrexisset, Rex surgens ipsum osculo excipere voluit. Eum tamen Canutus præuertit. (*Nam vt ait Helmold. c. 51. Rex Patruus, cum vidisset Nepotem suum in fastu regio, sibiq; nec adsurgere, nec osculum ex more dare, dissimulata iniuria, transijt ad eum, oblaturus ei salutationem & oscula. &c.*) Canuti vero splendor & magnificentia eum in summam inuidiam adduxit, & imprimis apud vxorem Nicolai Regis, quæ ad Regnum Daniæ adspirare, omnibusq; viribus adniti ac contendere Canutum suspicabatur, & ne filio eius Magno præferretur, summoperè metuebat. Itaque Magno ad se accersito, *Videsne, inquit, mi fili, vt patruelis tuus regnum adeptus sese efferat, ac superbiat, omniaq; pro imperio agat? Num eum Regnum Daniæ appetere dubitas? Tuum erit dispicere, omniq; ratione prouidere, quo pacto huic incommodo maturè præuerti ac occurrì possit. Nisi enim id feceris, ipse te Regno, quod tibi debetur, priuabit.* (*Helmold. cap. 51.*) Hac impia matris Oratione impulsua & inflamma-

flammatum Magnus, de Canuto è medio tollendo consilium inire ac secum cogitare cœpit, idq; matris assiduo hortatu & suasu, quæ verebatur, ne ope & præsidio Lotharij Cæsaris, apud quem gratia & auctoritate plurimum valebat, Canutus Daniæ Regnum occuparet ac possideret. Sed & Rex Nicolaus paulò ante, Canutum, quòd in suspicionem regni affectati apud eum delatus esset, interrogauerat, quà de causa, cum Slesuicensem Ducatum possideret, à Cæsare Regnum Obotritorum & coronam rogasset ac impetrasset. Canutus respondit, ea de causa id à se factum esse, vt inter Regnum Daniæ, & Slauos vicinos perpetua pax ac tranquillitas, firmaq; & constans amicitia coalesceret, & confirmaretur. Idq; è re maximè Danorum esse, qui cum Slauis iam multos annos quotidianis prælijs contendissent, cum aut suis finibus eos prohiberent, aut ipsi in eorum finibus bellum gererent. Eius rei se testem esse, qui patriæ liberandæ, hostisq; propulsandi causa, vitam suam sæpè in discrimen adduxisset. Idque omnibus satis constare ac manifestum esse. Rex Nicolaus vbi cognouisset, Canutum & Magnum animis dissidere, Procerum interuentu eos reconciliare, atque in gratiam ac concordiam redigere summopere studuit ac laborauit, eoq; rem perduxit, vt alter alteri fidem daret, se omnem ex animo simultatum exercitarum memoriâ penitus deleturum. Quod etsi sanctè seruaret Canutus, Magnus tamen pro nihilo habuit, vt qui Canuto saluo, incolumem sese fore, regnoq; Daniæ tuto ac tranquille potiri posse, non putabat. Accidit non multo post, vt Roskildia conuenirent Canutus & Magnus, vbi ad colloquium inuitatus à Magno Canutus, venire non respuit, neque recusat, etiamsi Canuti vxor *Indeburga* summopere id dissuaderet, maritumq; ne ad colloquium veniret, dehortare-

taretur, quòd somno se monitam diceret. (*Helmold. cap. 51.*) Canutus vero id pro nihilo habendum existimans, periculo & monitis vxoris spretis, tantum propinquitati & coniunctioni Magni tribuebat, vt salutem suam periclitari potius, quàm de Magni fide dubitasse, videri vellet. Itaque quatuor ministris stipatus ac comitatus, Magnum accedit, qui & totidem secum in comitatu habuit. Magnus loricator Canuto venienti adfurgit, osculoq; eum amantissime acceptum suauissimè complectitur. Visis loriceis, & quid sibi arma volunt? inquit Canutus. Respondit Magnus, (conatum animiq; propositum astute ac fraudulenter dissimulans) sibi rem esse cum subdito quodam inobsequenti ac immorigero, in quem animaduvertere decreuisset. Cumq; in syluam vicinam ingressi essent, Satellites, qui in insidijs collocati erant, eis occurrerunt. Cumq; rursus percontaretur Canutus, quid sibi homines armati vellent: Nunc, inquit Magnus, de regni successione, & summa rerum decertabimus. Canutus obstupefactus, Regnum, inquit, ego Patri tuo diuturnum & felix faustum ac optatum ex animo exopto. Quod neque ego appeto, neque vnquam me appetuisse egomet mihi conscius sum. Sed Magnus, qui vita priuare, illumque tollere omnino decreuerat, hac oratione nihil permotus, gladio stricto caput ei percussit & diffidit, reliqui Satellites hastis eum confoderunt. (*Annal. fol. 159. diuissog, membratim corpore crudelitatem suam etiam in mortuo exsaturare gestinerunt.*) Corpus eius exanime Ringstadum deuectum est, quòd vereretur Magnus, ne ob necem illius, populus inflammatus seditionem concitaret. Cædes autem Anno 1130. die Ianuarij septima, commissa fuit. Idq; liber Cantilenarum Danicarum ostendit. Hic fuit exitus tristis admodum ac funestus pij ac sancti Ducis Kanuti, in cuius S. memoriam sempi-

sempiterno honore ac veneratione colendam, Ecclesiæ non inutilem pioq; lectori non ingratum laborem me præstiturum puto, si ex Breuiario nostro Slesuicensi sæpius iam allegato, quæ de eius vita, rebus gestis, ac tristissimo, quanquam Beatissimo vitæ eius exitu, illic memoriæ prodita sunt, huc transferrem & pio ac beneuolo Lectori ob oculos statuerem.

Præmittitur autem primum Oratio. Deus, in cuius fide, Gloriosus Dux Kanutus firmiter incedens, vitæ innocentem violenter subtrahitur, præsta quæsumus, vt sicut ipse meritis ac precibus euadere mereamur. Per Dominum &c.

Sequitur vitæ rerumq; eius gestarum descriptio. B. Kanutus, Regis Erici filius, Dei dispositione factus Dux lucia, posuit super femur gladium suum. Inuasores Regni dissipat, perdit raptos, & fures suspendit, & in breui ab omni persecutione patriam suam liberauit. In omnibus prosperè egit, quia manus Domini erat cum eo. In diuinis deuotus exstitit & curiosus, in secularibus strenuus & Curialis. A Deo & hominibus iure dilectus erat. Vnde Magnus, Regis Nicolai filius, excæcatus inuidia, Ducem dolo de terra delere voluit. Contigit interim, vt Dux Regi tunc accusaretur: tunc & Rex, falsis fauens suggestionibus, his causis, Concilio Rypensi ipsum aggressus est. Tu contra consuetudines terræ, noua quadam induxisti, & in Slauiam contra me nomen Regis usurpasti. Super quibus Rex suis responsis auditis ( quia simplex erat & cito moueri non potuit ) delatoribus derogauit Rex, commendans opera Ducis, quia erant valde bona. Cum in illo tempore, imminente die Natalis Domini Regis, curia esset Roskildis celebranda, & Dux Canutus ad festum inuitatus ire festinaret, vxor eius, rei euentum præcogitans, hortabatur illum iter omittere. Sed cordis innocentia viro iusto eundi proposuit securitatem. Transfretante, venit ad curiam Regis, vbi cum honore receptus est. Magnus igitur, cui Kanutus se tutius committebat, meditabatur die ac nocte, quo eum

neci traderet. Huius perfidi Henricus Sthatelar fretus consilio, tres procures confederavit, in quibus præ cæteris malefaciendi habebat fiduciam. Deinde tanquam familiarem suum, Ducem consuluit, dicens; Frater fidelis præ cunctis mortalibus, cum te sine falsitate aliqua expertus sum, quædam negocia tuo consilio ordinare disposui, volo, ut in secretiori loco mihi soli solus obuias, ubi nemine impediante, quæ deliberanda sunt, definire valeamus. Kanutus falsi fratris verbis fidem dedit, & respondit, locum & tempus assigna, paratus enim sum in omnibus tibi parere. Die autem altero Epiphaniæ Domini, summo diluculo, Magnus, armatus cum suis sequacibus, ad sylvam veniens, in qua fratricidium perpetrare disposuit, doli nuncium ad Ducem direxit, mandans ei, ut, quod fideliter sponderat, cum festinatione adimpleret. Igitur S. Canutus ad locum properans, perfidum per saltum vagantem solum videbat. Qui statim occurrens, osculatur, amplexatur, pacis osculo Iudæ traditoris officio se obligavit, dicens. Frater, sedeamus illic. Sedens cum eo, versipellem latenter sub toga lorica tum perpendens, dixit. Frater bone, ut quid arma portas in tempore pacis? Traditor respondit. Inimico meo, iuxta opus suum, vicem reddere teneor, & ad vindictam ad præsens paratus sum. Iam scelus diutius celare non potuit, sed odiose dixit. Kanute, cuius est Dacia? qui simpliciter respondit, dicens. Frater, cuius est Dacia, nisi Patris tui & Patru mei, quamdiu Deo placuerit. Cui Magnus. Non sic. Omnes vadunt post te. Tu tollis à nobis locum & gentem, & inter nos hoc modo melius diuidi potest. Circumspiciensq; Dux, vidit armatos, & ait. Frater, scit, qui omnia nouit, me tibi, aut tuis, verbo vel opere nunquam obfuisse. Et quare hoc fecisti? In hoc sanctus surgere voluit, sed per cappe caputium traditor eum indigne retrahens, gladio ab aure sinistra in dextrum oculum, caput scidit, & cerebrum denudauit. Deinde cæteri, lanceas in latera eius fixerunt, & Martyrem Christi fecerunt.

\* \* \*

Dum

Dum corpus S. Kanuti Ringstedium transfertur ex  
eodem Breuiario. Oratio.

Omnipotens, sempiternus Deus, qui Beatum Ducem Kanutum, meritis suis inter Martyres mirificas, & inter mortales miraculis manifestas, presta quaesumus, ut nos, qui hodie eius translationem celebramus, ipsius precibus, de presenti miseria, ad perenne gaudium, transire valeamus. Per &c.

Deo dilectus Dux Canutus, terminum tangens, quem nemo praterire poterit, in Fidei pignore meritum & nomen Martyris preciosa morte promeruit. Quamplures igitur, tam felici morti dedito, (& pro Nobilitate Germinis, quia Regis filius, & pro Excellentia Dignitatis, quia Dux & Iudex iustus, & Bonitate innata, quia Mente prouidus, Lingua disertus, Manu fortis, Corpore venustus, Facie decorus, fidelibus Familiaris & Factori suo Fidelis apparuit) lachrymas madefactas exequiis impendebant. Prouocabat siquidem eos ratio multiplex corpus gloriosum Roschildas deferre. Ciuitas enim erat, sede Pontificali auctorizata, dignitate ceteris excellentior, & Patroni patrie precioso dotata pignore, tam Principum quam Praelatorum affcripta sepultura, maioris dignitatis melioribus apparuit. Terror, inquam Tyranni, eos a proposito desistere, subito compellebat. Inde frustrati voto, dispositione Diuina sancti Martyris Reliquas Ringstadiam tulerunt, membris tandem tanti Martyris in Basilica sanctae Mariae, Matris & Virginis, sepulchro commendatis, Virtutem sepulti, Benignitas Diuina, insepultam manifestauit. Tempore illo, Ecclesiae sanctae duo praebendarij erant, & ambo nequam; Qui, quia viciosi, virtutibus Martyris inuidentes, quem Dominus manifestum fecerat, sub modio maliciae abscondere satagebant. Praualuit inquam potentior, falsitate cedente veritati, delatorum Martyrum inuectionibus fictis, nullus fidelium fidem adhibuit. Perseuerantes siquidem in malitia sua secundi interfectores, peiores prioribus, sedent in insidiis, ut semel interfectum, iterum interficiant innocentem. Vnde vates vetularum fauentes friuolis, sepul-

chrum

chrum sancti, animalis immundi decoctione adhibita, sedare frustra festinabant: vt his maleficiis, miraculis cessantibus, Martyris memoria meta poneretur. Sed licet filius iniquitatis nocere opposuit innocenti, nihil praeualuit inimicus in eo, quia in Domino dormientis faciente sine fauilla lucem ardentem, nequicia nebula offuscare non potuit. Annis quidem xv. membra Martyris humata manebant, & fama felix de die in diem, accrescentibus Miraculis, longè lateq; incrementum accepit. Vniuersis igitur persecutoribus eius peremptis, perempto etiam Erico, qui Leonina feritate in Fratris ultione nulli parcens eadem exercuit, Ericus Spake regnum obtinuit. Tempore illo, ætatis discretio, naturæ nobilitas, gratia virtutum & timoris absentia, VValdemarum Ducis & Martyris filium, diu latentem in medium duxerunt. Comperto hoc facinore, Ericus Canuti Frater de homicidio tam funesto ac atroci apud omnes questus, plebem concitauit, parumq; abfuit, quin pro summo ac intimo amore, quo piè defunctum complecterentur, ardentissimoq; cordis dolore ac ægritudine propter tristem ac atrocem hanc eius cædem, in Regem ipsum impetum facerent.

(MAGNVS Rex Gothiæ. contra Lotharium Imp. S. CANVTI necem vindicantem, vallum à Nora flum. ad D. Michaelis templum vsque Slesuici eduxit. Obijt anno 1135.)

Magnus cum videret plebis furori obsti ac imperari non posse, metu perculsus in Gothiam exulatum profugit. Non multo post autem Rex, existimans diuturnitate temporis iam populi animos sedatos esse, Filium reuocauit. Quo factum, vt in summam omnium inuidiam & odium adduceretur Pater. Sed & Ericus ea de re & cæde patrata Lotharium Imperatorem, missis Legatis, certiolem reddere, & obnixè petere, curare vellet Imperator, atque efficere, vt de Magno parricida, dignum ac meritum pro grauitate ac atrocitate facinoris, supplicium sumeretur

retur, neue mortem illius inultam pateretur. Lotharius re cognita, summo dolore afficiebatur, quod virum Principem, sibi summa familiaritate coniunctum, tam fœda morte interemptum cognosceret. Itaq; vt eius mortem vlcisceretur, Slesuicum magnis itineribus, valida militum & equitum manu stipatus, contēdit, & ad vallum Danorum seu *Denneverck* peruenit. (*Annal. fol. 159. Helmoldus, cap. 51.*) Cum vero iter sibi interclusum esse animaduerneret, transitusq; non pateret, ibi substitit, castraq; meratus est. Huic subsidio venit Ericus, classe Slesuicum aduectus. Magnus de aduentu Cæsaris certior factus, nouo vallo urbem Slesuicum communiuit, portisq; ciuitatis præsidium validum applicauit. Cuius valli rudera ac reliquæ ad lacum *Noram* vulgo dictum, non procul à Monasterio virginum nobilium Deo dicatarum clarè cernuntur. Altera autem pars valli, & propugnaculi in monte edito excitati, ab æde *Diui Michaelis* (in quam propugnaculum deinde conuersum est,) initium capit, & versus orientem in lacum *Noram*, per agrum *Pastoris* protenditur, qui adhuc magna ex parte integrū conspicitur, etiamsi alicubi interruptū sit, ædificijs, & hortis, qui postea ibi ædificati & facti fuerunt vallo complanato. Nicolaus Rex, qui filij partes tutaretur, vallum interius, quod ciuitati proximum est, milite, quem ex Iutia collegerat, occupat & tuetur. Ferunt tot tantasque eius copias fuisse, vt cum eo Imperator manuum conferere non auderet. Ericus vallum ciuitatis, suis copijs, quas nauibus aduexerat, oppugnauit, attamen in urbem trajicere ausus non fuit. Lotharius cum videret, se frustra illic hæere, tempusq; inutiliter terere, de pace agere cœpit, quo vrbs Slesuicum obsidione liberaretur. Quæ his conditionibus, Erico inuito & reclamante, coiit, vt Magnus Imperatori fidem daret, seq, illi dictis ac imperio

audientem & obsequentem fore promitteret, & ut militem Romani Imperij duceret. Quas condiciones Magnus obuijs vlnis amplexus, & ad genua procidens, Imperatorem supplex veneratus est. proq; cæde commissa magnam auri summam multæ nomine exsoluit, ut testis est *Helmoldus c. 51.* ubi ait; Magnus virtute Teutonici militis territus, apud Cæsarem immenso auro, & hominio, impunitatem indeptus est. Quæ res malè Ericum habuit. Itaq; de Magni leuitate Imperatorem admonere, & palam enunciare, quod Cæsar eam fidem Magni erga se experturus esset, quam ipsius Frater Canutus magno suo malo comperisset. Neque eum opinio fefellit. Nam Imperator domum rediturus, cum Eidoram trajicere conaretur, ibi tum Magnus ad ingenium rediens, fide, quam Imperatori dederat, neglecta, Ducatu egredientes copias adoritur & persequitur, tandemq; fugat, usq; adeò, ut armis abiectis natando sibi salutem quærent, & euaderent. Ericus verò ægrè ferens Imperatoris animum iam mutatum, pristinam iam iterum deferbuisse iram, Magnumq; in gratiam receptum esse, ideoq; de fratris cæde vindicanda cogitare cepit. Quare in omnes Regni partes excurrere, ac de impia ac truculenta fratris cæde miserrime conquestus, homines ad commiserationem ac vindictam permouere & sollicitare, eoque rem perducere, ut multi auxilium ei aduersus Magnum pollicerentur, atroxque ac detestandum hoc parricidium vindicare parati essent. Itaque coactis copijs Magno pugnandi potestatem fecit, eumque prouocauit. Sed victus Ericus & in fugam versus, pedem referre coactus fuit.

ERICVS IV. E Mundi cognomine, *Pes Leporinus*, id est, *Häsenfues* / Rex Danie 76. Magnum nauali prælio in Scania interfecit Anno 1135. à ministro Plogo ex Iutia oriundo rursus lancea transfixus Anno 1139. Ripis sepultus.

Tur-

Turpissimam huiusmodi in fugam cum subinde rebus desperatis sese coniecisset, cognomen tandem adeptus est, ut Pes Leporinus vocaretur. Ericus vero, cum non haberet in Dania, ubi pedem poneret, Slesuicensium opem & præsidium implorat. Qui propter singularem Fratris Canuti pietatem, insignemque eius clementiam ac liberalitatem, qua erga Slesuicenses usus erat, Erici miserti, in urbem hominem receperunt, fidemque & iusiurandum dederunt, sese, si res postularet, pro eo mortem appetituros. Nam ita ait *Helmold. c. 52.* *Illi Slesuicenses memores bonorum, quæ impenderat eis Kanutus, receperunt virum, parati pro eo ferre mortem & exterminium.* Hac re nunciata, Rex Nicolaus & Magnus copiis magnis collectis Slesuicum contendunt, eamque obsident. Obsidionem illam quamvis durissimam ac acerrimam, toto autumnoque fortiter ac animosè ciues sustinent. Ingruente autem hyeme, Rex qui militem in hybernis contineret, ciuitatem strenuè ac acerrime oppugnare cepit, opportunitatem nactus maiorem quam ante, quod Sliamnis, seu qui adiacet ciuitati, lacus congelaciasset, *Helmold. c. 54.* Qua de causa Slesuicenses in summas angustias redacti, Adolphi Holsatiæ Comitis opem & subsidium anxie implorant, centumque marcas se soluturos promittunt, si cum Nordalbingis ciuitati subueniret. (*Annal. fol. 159.*)

Circa hæc tempora ADOLPHVS I. Comes Holsatiæ de familia Santerслеуеn, à LOTHARIO Duce Saxonie, Comitatu Nordalbingia (quod ultra Albim Septentrionem versus sita, sic dicta) siue Holsatiæ, post Gothefridum, cui Magnus, vltimus Dux Saxonie ex familia Billingorum (quos Sturbergehorns vocat *Fabric. lib. 2. origin. Saxon.*) Nordalbingiam in feudum concesserat, à Vandalis obtruncatum, infeudatus est, ut testatur *Chronicon Schaumburgense, Cyriaci*, ni fallor, *Spangenbergij*, impressum in *Stadhagen* anno Christi

Christi 1614. in fol. vbi libr. 1. c. 5. fol. 17. recitat hoc ex ade  
Hamburgensium Metropolitana monumentum.

Anno M.C.VI. Inclitus & magnificus Dominus Luderus  
Dux Saxonie & VVestphalie, qui postea Romanorum Impe-  
rator factus, & Lotharius appellatus, contulit & dedit Co-  
mitatum Holsatie, VVagria, & Stormaria vacantem absque  
heredibus, per mortem Nobilis viri Domini Gothofridi, di-  
ctarum terrarum vltimi Comitis, à paganis pro fide Catho-  
lica, cum multis Christianis ministerialibus suis, prope Ham-  
burg interfecti: Nobili viro Domino Adolpho Comiti de  
Scharvenburg, qui, & sui filij de ipso pro tempore procreati,  
ab illo tempore, vsque in hodiernum diem, predictarum ter-  
rarum pacifici Domini & Comites sunt & fuerunt: Post  
Carolus Magnum & Luduicum eius filium Romanorum  
Imperatores & Francorum Reges, huius Ecclesie secundi  
fundatores & fidelissimi fautores extiterunt. Orate pro eo.

Deinde ab Henrico V. Imper. confirmatus fuit Adolphus,  
A.C. III5. eidemq; gubernatio vrbs Hamburgensis commif-  
sa. Lothario Saxoni in subjugandis Vandalis, & eorum Idolo  
Filius exstirpando auxilium tulit A. C. III7. qui cum hos  
vicisset, castellum in monte Segeberga, quasi dicas Victoria  
monte, in signum victoria, & contra persecutionem Paga-  
norum in Christianos, instinctu Abbatis Vicelini construi  
curauit, vt antea dictum A.C. II30. Obijt anno II33. al. II37.

HARTVNGVS militiam sequutus sub Lothario Saxone  
Imp. in Bohemia cum 540. Equitibus casus, hostibus de im-  
prouiso huius copias opprimentibus, A.C. II26.

Magnus vero vbi intellexit, Adolpho Holsatie  
Comiti centum à Slesuicensibus promissas Marcas,  
vt illis succurreret, totidem Marcas se daturum Co-  
miti recepit, si Slesuicensibus opem non ferret. Co-  
mes quid ageret, quidue cōsiliij hac in re caperet, ani-  
mi dubius ac incertus, rem cum proceribus commu-  
nicandam existimauit. Quibus vnanimiter placuit,  
Ciuitati succurrendum, quod quotidie eius commo-  
dis &

dis & mercibus, quibus carere non possent, fruere-  
 tur. *Helmold. cap. 52.* Ita Nordalbingorum manu col-  
 lecta, ciuitati succurrere statuit. Congregato igitur  
 exercitu, Adolphus Comes transijt Egdoram flu-  
 uium, visumque fuit ei paulatim subsistendum, quo-  
 usque vniuersus conueniret exercitus, eundumq; in  
 terram hostilem cum diligenti cautione. Sed populus  
 prædæ auidus retineri non potuit. Tanta festinantia  
 præterlapsi sunt, vt venientibus primis ad syluulam  
 Thieuclam, nouissimi Egdoram fluuium vix attin-  
 gerent. *Annal. 159. Helmold. c. 52.* Magnus vbi de Co-  
 mitis aduentu certior factus esset, mille loricatos mi-  
 sit, qui hostium impetum sustinerent & propulsa-  
 rent. Cumque prælio dimicatum esset, Magnus Hol-  
 satus superauit. Comes Eidora transmissa salutem  
 sibi petijt. Ea victoria Magnus elatus, Slesuicenses  
 obsidere pergit, (frustrato tamen labore: nam neque  
 ciuitate, neq; hoste potitus est. *Helmold. 52. cap.*) Ciui-  
 tate a. potiri non potuit, quòd ciues homines fortissi-  
 mi, pro aris & focis, nec non salute Erici totis viri-  
 bus pugnarent ac contenderent. Cumq; iam ver ap-  
 peteret, Ericus, qui hyeme tota Slesuici sese conti-  
 nuisset, vrbe elapsus, in Scaniam nauigat. Eum Ma-  
 gnus classe, quam instructam habebat, sequutus est.  
 Prælio commisso, Magnus vnà cum Episcopo Petro  
 Roskildensi, ceterisque Pontificibus occubuit. Na-  
 ues partim direptæ, partim laceratæ fuerunt, quarum  
 tabulis plerique inhærentes trucidantur. (*Vide hic  
 Helmoldum latius hæc referentem cap. 52.*) Ea victoria  
 Ericus insignem laudem, & apud Slesuicenses bene-  
 uolentiam adeptus est; (& creatum est ei nomen, vt *Eri-  
 cus Erum hoc est memorabilis appellaretur. Helmold. c. 52.*)  
 qui iam obsidione, quæ menses octo plus minus du-  
 rauerat, liberati essent. Interim tamen victoria illa  
 non humanis viribus, sed Dei, iniustam eadem Ca-  
 nuti

nuti vindicantis beneficio tribuenda & accepta ferenda est. Nam, exiguo numero accolarum, qui se ei coniunxerant, hostem Magnum superauit Ericus. Nicolaus Rex per Iutiam elapsus, magnis itineribus Slesuicum contendit, ciues sibi reconciliaturus, quos ob eadem Canuti maxime infensos atque exosos sibi habebat. Itaq; apud Ciues instare & sollicitare, vt sibi ciuitatem ingredi liceret. Cumque illis tuto salutem suam committere non auderet, obsides sibi dari petijt, quorum tamen ciuib; recusantibus nulla ipsi copia facta. Tandem à Boieno quodam ciue, qui maxime plebi gratus atque acceptus erat, persuasus, ciuitatem ingredi decreuit, quod is omnem metum & suspicionem ex animo Regis amouisset. Portis apertis urbem ingressus, ab ordine Religiosorum & Canonicis honorifice excipitur, vt qui illum processionis honore venerarentur, & obuiam euntes per plateas in Regiam deducerent. Populus autem ira æstuans vel vt hostem recipit, sibiq; gratulatur, quod post tot pericula & labores exantlatos, tandem in suam potestatem redactus esset. Id ubi intellectum esset, amici & intimi, quibus maxime Rex fidebat, ei vno ore authores fuerunt, vt in ædem Diui Petri se reciperet, tanquam in asylum, rati multitudinem populi, veneratione templi, nihil contra Regem tentaturam. Sed Rex, ne timoris signa ederet, & meticolus videretur, respondit, se Regiam, quam Rex Slesuici habebat, ingressurum, ne penates sacrosancti in æde sacra ipsius sanguine commacularentur: & quod Regia, si res postularet, vitam ac salutem suam tueri ac defendere satius esset, quam templo. Eamque ingressus est. Fuit autem illa in platea vulgo Cespitum appellata, sita ad lacum Noram. Ciues Regiam adorti oppugnare cœperunt. Rex satellitibus & militibus, quos secum habebat, vim illatam propulsare, & se defendere

fendere conatus fuit, ita vt vtrunque plerique grauiter vulnerarentur: sed tamen multitudinis effrenatæ impetum diu sustinere non potuit, quæ, apparitoribus & ijs quos circum se habebat militibus obtruncatis, Regem adoritur & neci tradit. Idque in platea, quæ à cespite nomen habet, factum esse, Maiores nostri memoriæ proditum dixerunt. (Porro Nicolaus Senior naui elapsus venit Slesvich, percussus est à viris ciuitatis in gratiam victoris. Vltusque est Dominus sanguinem Kanuti, quem interfecit Magnus, præuaricator iurisiurandi, quod iurauit. Ita Deus patrem iustissime ob parricidiū commissum ad poenam rapuit. [Monasterium in villa VVippendorpe, vel Faldera secundum Slauiam linguam antiquitus dicta, nunc Nigemunster vocitata, per Adevveronem Archiepiscopum Bremensem in insulam Bordesholm translatum, fundatum est post Ecclesiam Hamburgensem, per primum Adolphum Comitem, vbi tunc primum fides Christiana in terra VVagria, tum Slauiæ & Holsatæ per sanctum virum Vicelinum incrementum coepit. Anno Domini millesimo centesimo decimo. Hac Ecclesia ac Nouum Monasterium in honorem Beatæ Mariæ Virginis fundatum est. Ab eodem Comite Adolpho fundatum etiam fuit Monasterium Reinevelde. Nam ipse Comes fuerat de domo Schorvenburgensi, & in finibus terræ illius est Monasterium Locken situm Cisterciensis ordinis. De quo Monasterio Monachos recepit & in Reinevelde statuit permanendos. Quare adhuc hodie illi Monachi in Locken habent potestatem visitandi in Reineuelde illisq. sunt superiores. In hoc monasterio primus Iohannes Comes est sepultus, & alij etiam de illa progenie Iohannis Comitis. Hæc Continuator Helmoldi in manuscripta Historia. (Sub annum Domini IIII2. Episcopi tres è Dania egressi per comitatum Stadensem iter facturi, magna auri summa onusti, spoliati fuerunt vnà cum comitibus, in Albi submersis, à fratribus tribus pecuniam direptam esse memoria prodiderunt. Annal. fol. 153.)